



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Joannis Commirii E Societate Jesu Carminum Libri Tres**

**Commire, Jean**

**Lutetiæ Parisiorum, 1678**

XXVI. Ad P. Ferrium Eximium Verbi Divini Praeconem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14818**

Stilove incipient notare nomen;  
 Illud litterula asperent molesta.  
 Nam dulcedinis & suavitatum,  
 Divinæque soror benignitatis  
 Spiritus negat asperos habere.

XXVI.

## AD P. FERRIUM

EXIMIUM VERBI DIVINI PRÆCONEM.

**C**UM tibi sint mores quos aurea prædicet ætas,  
 Aurea mens, torrens aureus ore fluat;  
 A duro nomen trahis illætabile ferro:  
 Credemusne ullam vocibus esse fidem?  
 Sed tamen in ferro vis est adjuncta nitore:  
 Martius atque suum fulgor acumen habet.  
 Nempe tua hæc, Ferri, laus est: fulgesque, ferisque:  
 Mixtaque fulgureâ vulnera luce facis.  
 Quanquam dissimilis ratio ferrique, tuique:  
 Das vitam; ferri vis inimica, necat.

XXVII.

## IN LIBRUM V. CL. N. BOCHARTI

*De animalibus sacre scripturae.*

**Q**UI veterum libros, spinosa volumina, vatum  
 Sperat inoffenso solus adire pede:  
 Ille per undantes malefidæ Syrtis arenas  
 Tendere securum posse videtur iter.  
 Non facies rebus, non pristina forma remansit:  
 Signa etiam voces destituere suas.

Dd ij